de captivis commutandis romam missus esset. Jurasset quod se rediturum primum ut venit captivos reddendos in senatu non censuit. Deinde cum retineretur a propinquis et ab amicis ad supplicium redire maluit quam fidem hosti datam fallere. Ac de bellicis quidem officiis satis dictum est.

Meminerimus autem et adversus infimos justiciam esse servandam. Est autem infima condicio et fortuna servorum. Quibus non male precipiunt qui ita jubent uti ut mercenariis operam exigendo iusta prebenda. Cum autem duobus modis id est aut vi aut fraude fiat iniuria. fraus quasi vulpecule, vis leonis videtur. Utrumque ab homine alienissimum. Sed fraus odio digna maiore. Totius autem iniusticie nulla capitalior quam eorum qui tum cum maxime fallunt id agunt ut boni viri esse videantur.

De iusticia satis dictum est. Deinceps ut erat propositum de beneficencia ac liberalitate dicatur. qua quidem nichil est nature hominis acomodatius. Sed habet multas cautiones. Videndum enim est primum ne obsit benignitas, et his ipsis quibus videbitur benigne fieri et ceteris. Deinde ne maior benignitas sit quam facultas. Tum ut pro dignitate cuique tribuatur. Id est enim Justicie fundamentum ad quod referenda sunt hec omnia. Nam et qui gratificatur cuipiam quod obsit illi cui prodesse velle videantur Non benefici neque liberales, sed perniciosi et assentatores iudicandi sunt. et qui aliis nocent ut in alios liberales sint, in eadem sunt iniusticia ut si in suam rem aliena convertant. Sunt autem multi quidem cupidi splendoris et glorie qui eripiunt aliis quod aliis largiantur. Hi que arbitrantur se beneficos visum iri si locupletent eos quacumque ratione. Id autem tantum abest ab of-